

CAPUT XII.

De

PARALLELOGRAMMIS IN SPECIE, EORUMQUE
sectionibus & comparationibus mutuis.

Cum Parallelogrammorum doctrina copiosissima propter insignem usum in re Trigonometricâ peculiarem sibi locum merito vendicat: malui Ego ijs hunc titulum proprium præfigere potius, quàm, sub Triangulorum copia penè innumerâ, minus conspicua relinquere.

Parallelogramma ergò omnia sunt figuræ quadrilateræ, adeòq; quadrangulæ, laterumq; alternatim parallelorum.

Suntq; vel Æquiangula atq; adeò Rectangula, vel inæquiangula seu Obliquangula.

Utraq; insuper rursus vel Æquilatera vel Inæquilatera.

Parallelogramma Æquiangula & Æquilatera dicuntur

QUADRATA: atq; horum anguli omnes necessariò sunt Recti.

Quia enim figura est quadrilatera & æquiangula & Parallelogramma: impossibile est ut anguli alij esse possint quàm Recti, cum latera necessariò ad perpendicularitatem annuant: ut videre est in apposito quadrato ABCD: præsertim cum inter quadrilateras hæc sit regularissima, quia æquilatera & æquiangula, reliquorumq; quasi norma quædam.

Priori autem capite dictum est quatuor quadrilateri angulos æquari quatuor Rectis: hic omnes anguli sunt æquales: ergò quilibet eorum Rectus.

